





ANALECTA  
DE ICTERO

1780, 4<sup>b</sup>

10

CONSENSV

GRATIOSI ORDINIS MEDICI

IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

D. IO. CHRISTLIEB KEMME

FACVLTATIS MEDICAЕ H. T. DECANO

PRO

GRADV DOCTORIS MEDICINAE

SOLLEMNITER CONSEQVENDO

ADD. IX. SEPTBR. CIOIO CCLXXX.

H. L. Q. S.

PVBLINE DEFENDET

A V C T O R

GEORG. LVD. FERDINAND. BEHM

BEROLINENSIS.

---

HALAE SALICAE,

TYPIS HENDELIANIS.

DE ICLERO

GRATIOSISSIMA & MILDIA

LIBERALITATIS & CLEMENSIA

CHARACTERES & VIRTUTES

CONSTITUTIONES & LEGES

INSTITUTIONES & RATIONES

PROCESSIONES & FESTA

ANNUALIA & ANNIVERSARIA





### §. I.

Morbos non agnoscere solum, sed  
dignoscere posse, eorumdemque & agnoscere &  
dignoscere causas, vti ardua profecto res est,  
ita certe non ornat solum medicum, sed facit.  
Est, vbi diligentissimum congruumque obserua-  
torem latet morbi genius, est, vbi ad eum per-  
spiciendum non magna requiritur ingenii acies.  
Causas etiam morborum, altis saepe tenebris  
obvolutas, tum numero plurimas, tum non  
raro sibi oppositas, ita & eruere & disponere  
posse, vt tum morbi genio satisfiat, tum con-  
grua medendi methodus superstrui possit, non  
leuis certe labor est. Quod quidem exemplo  
comprobare, animus est, editis in auctorum  
de ictero sententias animaduersationibus. Quam  
autem olim MEADIVS proposuit enunciatio-  
nem, sibi auctorum de ictero sententias non  
omnino satisfecisse, eam, quamvis nuper BRÜ-  
NINGII, MARCARDI, de HAËN & de  
WASSERBERG scripta acceſſerint, tueri &



iam non vereor, persuasus, me posse iis, quae  
iam prolatus sum, rei veritatem euincere.  
Licet autem ipse non sis sim, qui possit exspectare,  
se suis animaduerctionibus aliis etiam omne  
dubium circa icterum esse sublaturum, spero ta-  
men, me quidquam faltem esse additum, ut  
alii facilius icteri genium eruant. Ut vero B. L.  
has animaduerctiones aequi bonique consulat, est,  
quod maxime rogo.

## §. II.

Animo vero perpendens, adeo diuersas  
esse auctorum de ictero sententias, vereor omnino,  
ne Tibi, B. L. quaestio incurrat in mentem,  
quid demum icterus sit? atque a me poscas,  
accuratius primum eius genium definitam: quod  
fieri ut possit, eius signa tradantur, oportebit.  
Igitur commemorant auctores inter icteri signa  
flauedinem cutis, & oculorum, imo visum  
flauum, quo flaua adpareant ictericis omnia  
obiecta, vrinam, colore croceo rubente, aut  
croceo fusco, aut croceo nigricante, & dote  
praeditam, Intea inficiendi colore flauo, faecum  
aluinarum album aut subgryfeum colorem, san-  
guinem, e vena missum, flauum, non raro  
tenuem, fudorem, sanguinum, linguam, flaua; oris  
amarorem, spasmum hypochondriorum, praeci-  
pue dextri, seu distensionem validam, ac oppres-  
sionis sensum, e hypochondrio dextro etiam ad  
scrobiculum cordis extensem, praecordiorum  
auxie-

5

anxietatem, anorexiā, nauseam, lassitudinem,  
pigritiam, pruritum totius corporis, cet.

Num autem haec omnia coniuncta requi-  
rantur ad icteri ideam, quid adesse, quid abesse  
possit, ut tamen non citra auctoritatem icterus  
dicatur, verbo, quae sint essentialia icteri signa,  
iam disquiramus.

*Oculorum* itaque *flauedo tum* abest inter-  
dum in vere ictericis, *aut* omnino, vel infan-  
tum exemplo, *aut* initio icteri praesens sensim  
euanelcit, ut tamen icterus adesse dicatur *a*),  
*tum* adest nonnumquam in ceterum sanis, quos  
ictericos non dixeris *b*).

*Visus flavius*, licet a GALENO v. c. &  
FR. HOFFMANNO commemoretur, non raro  
tamen in ictericis desideratur *c*).

*Vrina* in iis, qui icterici habentur, colore  
& tingendi dote non semper omnino conspicua  
est: *imo* colorem & tingendi facultatem, icteri-  
corum more, facile adquirit in iis, qui rheum  
barbarum ad dragmam v. c. adsumferunt.

#### Faeces

*a) A. de HAEN* praefect. in H. BOERHAAVE  
instit. pathol. ed. a de WASSERBERG. Vind.  
1780. T. II. adn. diff. de ictero.

*b) de HAEN* I. m. c. p. 114.

*c) MORGAGNI* de sed. & caus. morb. ep. XXVII.  
a. g. *de HAEN* I. c. p. 116.



*Faeces aluinae* in ictero, flauedine cutis atque oculorum conspicuo, non raro a colore naturali omnino non recedunt *d)*; aut, licet initio icteri faeces albae prodierint, perseverante tamen ictericio cutis colore, faeces iam tinctae excretae sunt *e)*, quod bonum esse signum statuitur. Aut icterus abiit, nec tamen minus faeces diu adhuc colore abnormi fuerunt, quale exemplum *de HAEN f)* refert: imo faeces interdum albae, argillaceae, prodierunt, citra ictericum cutis colorem *g)*.

*Sanguis* certe, (sed serum intellige) *flaus* in omni forte morbo bilioſo obtinet, nec ubique admodum mutatus in ictero est.

*Sudor, saliuia, lingua, flaua* tantum in grauiori & diuturno potissimum ictero sunt.

*Lingua* autem *flaua* potest in omni morbo bilioſo adeſſe; *orisque amaror vti* in omni fere morbo bilioſo est, *ita* & in ictero leuiori & incipiente deſſe ſolet.

*Flauedo*

*d) Cel. STOLI rat. med. T. III. p. 336 rel. & de HAEN l. c. p. 116.*

*e) v. SWIETEN comm. T. III. p. 131.*

*f) I. m. c. p. 154.*

*g) In pueris vidit de HAEN l. m. c. STÜRCK ann. med. II. 251.*

*Flauedo vnguium quin & ossium tum modo  
in graniori ictero est b), tum vix agnoscitur in  
viventibus.*

*Spasmi hypochondrii dextri, anxietas, cet.  
vt iam enumeratorum plurima, sunt progenies  
causarum icteri, vt in sequentibus videbimus,  
toties autem absque ictero comparent, a causis  
suis, etiam cum ictero communibus, vt ad essen-  
tiam icteri vix referri queant.*

Igitur sola quidem *cutis flauedo* adhuc super-  
est, quae nisi ad essentiam icteri pertinet, de eruendis  
icteri idea, symptomatibus solis innixa, despe-  
randum est. Eadem vero potissimum est, quae ad  
icteri ideam faciat, siquidem icterus praefens esse  
auctoribus dicitur, quamvis non abnormis color  
adseruerit oculorum, vrinæ, faecum, aut horum qui-  
dam tantum adseruerit: adeoque icterus in sola cu-  
tis flauedine confisetur. Neque enim signa, supra  
enumerata, in vnum collecta, ad icteri ideam  
requiri possunt, nisi plurimas auctorum de ictero  
obseruationes reicere velis, atque icterum citra  
auctoritatem definire. Quum vero signa, supra  
proposita & adesse & abesse possunt, manifeste  
essentia non sunt, sed accidentalia: sola itaque  
cutis flauedo ad icteri ideam, e symptomatibus  
petendam, facit, quam tamen definire adhuc  
nos, oportet, quum notum sit, post moerorem,  
imediam diuturnam, in cachexia, leucophlegma-  
tia,

*b) v. SWIETEN ad §. 950.*



tia, tabe, phthisi, cutim quoque flauedine quada  
m praeditam esse, quam tamen icterum proti  
nus ac semper non dixeris. Ut igitur ab hac  
distinguatur flauedine, quae cum pallore, seu  
albo colore, coniuncta est, audias auctorum de  
scriptionem coloris ictericii, quem dicunt aureum  
esse, croceum, luteumne, subindeque ad viorem  
inclinare, adeo, vt vere viridis aliquando sit,  
quemque, quoniam peculiarem denominatio  
nem haud accepit, sub icteri denominatione  
comprehendimus, alterum, qui est colore fuli  
ginoſo, atroliuido, aut ex viridi nigricante, &  
vere atro, sub *icteri nigri* seu *melaſiecteri* voce  
indicaturi. Et sic quidem sub ictero eos etiam  
comprehendimus, qui a pathematiibus, aut morbi  
animalium, venenis, atque in nuper natis, exci  
tati & conspicui saepe breuis temporis sunt, ne  
que adeo profunda & diffusa flauedine sunt in  
signes.

### §. III.

At vero haec cutis conditio praeternatura  
lis, morbusne, an symptoma est? Morbum esse,  
poteris auctoritate Clarorum Virorum statuere,  
liquidem & permulti eum pro morbo venditant,  
& eundem asserunt vel protopathicum esse vel  
symptomaticum, adeoque certe morbum. Icterum  
vero morbum non esse, facile videtur probari  
posse. Etenim si cum ill. GAVBIO i) morbum  
dicis

i) Pathol. medic. §. 34.

—

„dicis statum illum (internum) C. H. viuentis,  
„quo fit, vt actiones, homini propriae, non  
„possint adposite ad leges sanitatis exerceri,“  
prosecto non perspicio, qui possit icterus morbus  
dici, quoniam eius essentia in sola cutis aliena-  
natione ponenda est, quae ipsa, sola, actiones  
omnino labefactare nequit. Quo igitur respectu  
ad ea potius symptomata icterus referri debet,  
quae sensibiles qualitates corporis alienatae vo-  
cantur.

Neque omnino tamen bene dixeris,  
icterum symptoma esse, licet obseruationes ad-  
feras, vbi tamquam verum symptoma mor-  
bum comitatus est, aut tamquam crisis mor-  
bo superuenit. Quamuis enim in eo omnino  
symptoma sit icterus, quod sit effectus morbi,  
ad hepar aliasue partes referendi, vt deinde  
comprobatur fimus, & quod eius genius con-  
tineatur conditione cutis praeternaturali, sen-  
sibilem adeoque a statu naturali alienationem  
denotet & fistat, cui nec morbi notio competit,  
quod symptomatis character est *k)*: ea tamen  
gaudet latitudine, vt signa, supra commemora-  
ta, licet non omnino essentialia, tamen, si ad-  
funt simul cum ictero, ad hunc etiam ab aucto-  
ribus referri soleant, certe neque ad morbum  
alium, neque ad caussam aliam. Igitur, quo-  
niam

*k) G A V E. I. M. C. §. 34.*

B

niam Veteres aequi, ac recentiores, eiusmodi  
status corporis humani praeternaturales, quae  
nec morbi essent, nec symptomata, dixerunt  
passiones vel affectus <sup>1)</sup>: icterus utique erit  
passio vel affectus dicendus.

#### §. IV.

Vt felicius icteri causas dimetiamur, con-  
fert, eius enumerare differentias, easque condi-  
tiones, quae caussarum etiam nomine ab auto-  
ribus celebrantur. Igitur icterus corripit setum  
in

<sup>1)</sup> GALENS potissimum loquitur de *insignibus morbi symptomatibus*, quae dicit, & habet  
denominationes, *pathos*, *pathema*, (*diathesis*);  
*passio*, *affectus* latini, germanice *Sucht*: vnde  
nomina, *Schlaffucht*, *Fallsucht*, *Tobsucht*,  
*Windfucht*, *Gelhfucht*, *Wasserfucht*, *Mond-  
fucht*, *Bleichfucht*, *Schwindfucht*, *Lungensucht*,  
etc. quae omnia recte habentur nec pro morbis,  
nec vere symptomatibus, sed passionibus. HIP-  
POCRATES etiam libros scripti, quorum ali-  
qui de morbis, *περί γένων* inscribuntur, alii de  
affectibus, seu passionibus, *περί παθῶν*: atque  
utraque voce vitur. Quod non semper satis  
constanter & secundum eundem sensum haec  
verba adhibeantur, id saltem docet, auctores de  
necessitate peculiaris vocis fuisse quidem conui-  
ctos, aliquando tamen vacillasse, aut rei oblitos  
fuisse. Utilitas & necessitas facile patet &  
euincitur.

in utero *m*) atque infantes mox natos *n*) (siue nati fuerint a matre icterica, siue secus), vbera ducentes, & pueros, virosque, mulieres, etiam grauidas *o*), & puerperas, senes, (eosque obefos cum periculo *p*). Nascitur citato *q*) & lente *r*), atque est continuus & intermittens *s*), quandoque, periodice etiam, recurrens; nonnumquam acutus, alias chronicus, interdum breuis esse obseruatur. Nascitur tamquam passio tum primaria, tum secundaria, &, quamquam haud raro in aegri nocumentum comparet, alias tamen vix passionis nomen meretur, imo crisi constituit interdum, morbi

B 2 prae-

*m*) DOLAEVS I. 3. c. 8. PANAROLI pentec. 4.  
obs. 12. E. N. C. a. 7. obs. 241. BIERLING  
adu. med. 1076. KERCKRING, WRISBERG  
SANDIFORT & HANNES apud BRÜNING.  
tr. de ictero spasmot. infant. epid. Vesal. & L.  
1773. p. 228.

*n*) SYLV. L. I. c. 56. a. II. 4. BAGLIV. pr.  
med. L. I. p. 83. FR. HOFFMANN M. R. S.  
T. 3. S. I. c. 5. IVNCKER ther. tab. 90. I. 3.  
MORGAGNI de fed. morb. XLVIII. 60.

*o*) V. SWIETEN aph. 950. v. & physcon.

*p*) KLEIN interpr. clin. p. 147.

*q*) de HAËN I. c. p. 132.

*r*) Commerc. litt. Nor. a. 1739. h. 39.

*s*) de HAËN I. c. p. 133. BRÜNING I. c.  
p. 207. 264.



praecipue biliosi  $\tau$ ). Haereditarius  $v$ ) aliquando est, & sporadicus in primis existit, licet etiam epidemicus  $x$ ) obueniat. Alias differentias deinde attingam.

### §. V.

Porro icterus ortus commemoratur:

I. a neruorum affectione, per animi adfectus, moerorem, terorem, potissimum iracundiam admisam  $y$ ), hicque potissimum cito oritur. Non incongrue huc etiam periodicum  $z$ ) (intermittentem) retuleris.

### II.

$\tau$ ) HIPPOCR. aphor. IV. 64. FOREST. obs. XVI. 35. ROEDERER & WAGLER d. de morbo mucoso. p. 56.

$v$ ) BOERHAAVE ap. v. SWIETEN T. I. p. 255.

$x$ ) Comm. litter. Nor. 1736. h. 3. a. 2. a. 1737. h. 22. Hist. morb. Vratislav. p. 14. Act. Mognunt. T. I. p. 320. ROEDERER & WAGLER l. c. BRÜNING l. c. p. 99. HYXHAM opp. T. I. p. 152. 274. Notandum potissimum, in his epidemiciis nullum hepatis, vel ductuum biliariorum, vel cystidis felleae, occurre vitium.

$y$ ) SYLV. I. I. c. 66. a. 9. BONET. Sep. an. I. I. f. 18. obs. 2. 6. & in addit. obs. 5. HOFFMANN M.R. S. T. II. S. 3. c. 57. p. 264. MORGAGNI l. c. XXXVIII. 2. BRÜNING. l. c. p. 216. 225 sq. 232. 234.

$z$ ) ETTMÜLLER opp. T. I. p. 164. HOFFM. l. c. obs. 5. SAVVAGESII nosol. meth. Sp. 8. Eph. Vratisl.

II. a plethora *a*); catameniorum emanstione *b*),  
 & suppressione *c*), a haemorrhoidibus *d*),  
 constitutione phlogistica *e*), & inflammatione  
 hepatis *f*), cystidis felleae *g*), & ductus  
 cystici & communis *h*).

III. a diathesi catarrhalis seu rheumatica, quor-  
 sum refero icterum, ortum a frigore, maxime  
 post corporis exaestuationem, vel ad totum  
 corpus, vel ad pedes admisso, aut post po-  
 tus

Vratisl. 1730. p. 840. A. N. C. vol. 7. p. 50.  
 vol. 10. p. 94. Rec. period. T. 5. p. 36. Cel.  
 MEDICVS period. Kranckh. p. 57.

*a*) E. N. C. dec. I. a. 4. FR. HOFFMANN de  
 cach. icter. obf. 3. Comm. litt. Nor. 1739. h. 4.  
 p. 30. SAVVAG. l. c. Sp. 5.

*b*) BARTHOL. Cent. 5. h. 62.

*c*) HOFFMANN M. R. S. T. 3. S. I. c. 9. Comm.  
 litt. Nor. 1740. h. 19. a. 3. E. N. C. dec. I.  
 a. 4.

*d*) IVNCKER l. c. tab. 90. 5. 32. & tab. II. 6. 10.  
 Comm. litt. Nor. 1742. h. 26. n. I.

*e*) Cel. STOLL Rat. med. T. 3. p. 402.

*f*) v. SWIETEN §. 950.

*g*) SABATIER d. de calc. fell. Monsp. 1758.  
 p. 74.

*h*) DRYMMOND. d. de bile. de HAEN l. c.  
 p. 127.



tus gelidi abusum *i*). Etiam a constitutione pituitosa, & pituita potissimum (biliofa), ductum communem obstruente *k*).

IV. a saburra primarum viarum, quo refero iste-  
rum ab immodice adsumtis pyris *l*), a solano  
esculentu *m*), a spiritus ardentis abusu *n*).

V. a constitutione biliosa *o*), catarrhoſa biliosa *p*),  
& putrida biliosa *q*).

VI. a vermisbus, iisdemque tum in intestinis  
contentis *r*), tum aut hepar obſidenti-  
bus

*i*) M. N. C. dec. 3. a. I. obf. 86. IVNCKER I. c.  
Tab. 90. 5. 7. p. 730. Comm. Litt. Nor. 1739.  
h. 39. RIEDLEY obf. phys. med. 24. p. 100.  
v. SWIETEN T. 3. p. 90. §. 916.

*k*) ETTMÜLLER pr. I. I. f. 17. c. 3. a. 4. MOR-  
GAGNI I. c. XXXVII. 34. PRINGLE v. d.  
Krankh. d. Arm. app. 115. Auserl. Abh. z. Gebr.  
f. pr. Aerzte T. 2. f. 1. p. 89.

*l*) Comm. litt. Nor. 1739. h. 39.

*m*) HALLER. El. phys. T. VI. p. 593.

*n*) BRÜNING. I. c. p. 193.

*o*) SYDENHAM opp. S. 5. c. 2. p. 139. SAV-  
VAG. I. c. Sp. I. FOREST. XVI. 34.

*p*) WAGLER I. c. p. 18.

*q*) BRÜNING I. c. p. 136. 266.

*r*) PLATERI pr. I. 3. p. 883. BRÜNING  
p. 195.

bus *v*) aut per ductum choledochum hepar  
petentibus *t*).

VII. a venenis, tum adsumtis, vt a facco vua-  
rum immaturarum *v*), vino pomaceo *x*),  
ponis immaturis *y*), fungo *z*), stramo-  
nio *a*): tum externis, morbi animalium *b*),  
hinc per viperam *c*), busonem *d*), tarantu-  
lam

*s*) G. WIER ap. FABRIC. HYLD. & hic obs. 60.  
p. 61. I. WIER opp. p. 316. E. N. C. dec. 67.  
art. 7. O. 16. LIEVTAYD hist. anat. med. T. I.  
p. 210. BIANCHI. RVYSCH. EIDLOO.  
ap. BRÜNING. I. c. p. 126.

*t*) E. N. C. dec. I. a. I. obs. 50. A. N. C. T. 5.  
obs. 112. Medic. obs. and. inquir. vol. I. art. 9.  
p. 66. BRÜNING. I. c. p. 126. 128.

*v*) FR. HOFFMANN M. R. S. T. 4. c. 12. obs. 5.

*x*) Cum colica piertonum. Iourn. de med. T. 15.  
m. dec. 2.

*y*) RHODII Cent. 3. obs. 19.

*z*) Hist. de l' acad. des Sc. 1745. a. 12. p. 210.

*a*) B. RVST. d. de bals. vuln. Dippel. 1770.

*b*) BAGLIV. I. I. p. 85. I. H. SCHVLTZE d.  
de iectero §. 21.

*c*) COEL. RHODIG ant. leet. 1.6. c. 13. p. 204.  
GALEN. de loc. adf. I. 5. c. 8. ZACVT. LV-  
SIT. I. 5. h. 29. SYLV. I. c. art. 40. p. 303.  
BONET. Sep. I. 2. f. 18. obs. I.

*d*) ALLEN Syn. med. pr. C. XVI. a. 59. p. 573.



laim *e*), scorpionem *f*), scurum *g*), felim domesticam *h*), canem rabidum *i*).

VIII. a diathesi purulenta, a consolidatis ulceribus *k*), ab abscessu hepatis *l*), aut cystidis felleae *m*).

IX. ab infarctu venae portarum, hepatis *n*), pancreatis *o*).

X.

*e) SCHVRIG* Sialog. c. 5. p. 205.

*f) DONAT.* hist. med. I. 1. c. 9. p. 74.

*g) E. N. C.* dec. 2. a. 9. obs. 188.

*h) AET. PHYS. MED.* T. I. obs. 96. *v. SWIETEN* §. 916.

*i) BARTHOL.* Cent. 3. hist. 4.

*k) AMAT. LVSIT.* Cent. 3. hist. 4.

*l) BONT.* med. Ind. L. II. c. 8. *BONET.* Sep. I. c. obs. 22. 23. 25. *FOREST.* obs. X. 19. *v. SWIETEN.* §. 933. *COLIER, BARTHOL. BIANCHI* apud *BRÜNING* I. c. p. 105.

*m) MEAD.* mon. med. p. 163. *Journ. de med.* T. X. p. 432. *Hist. de l' acad. des Sc.* 1759.

*n) HELMONT.* opp. *FR. HOFFMANN M. R. S.* T. 3. S. I. c. 4. §. 39.

*o) BONETI* Sep. de vomitu I. 4.

X. ab arthritide etiam, podagra potissimum re-  
pulsa p).

XI. a calculis, & quidem hepatis, in poro-  
rum biliariorum vicinia q), a ductus excre-  
torii topis r), a ductu oppilato per calcu-  
los felleos s), a calculis, ductum pancreaticum  
opplentibus, & ductum choledochum  
comprimentibus t); a liene calculoso v),  
a rene calculoso x).

XII.

p) IVNCKER l.c. p. 736. n. 8. 19. STORCH  
lahrg. 1728. m. Mai. LISTER. de morb.  
chron. p. 88 sq. LIZZARI hist. 2. rar. Venet.  
1761. p. 71. Medic. obs. and. inquir. vol. I.  
a. 6. PRINGLE de infl. ventr. & intest.

q) A. N. C. T. 2. obs. 176. BONET. sep. f. 18.  
obs. 4. f. 16. obs. 5. MORGAGNI l.c. XXXVII.  
II. 12. SAVVAG. l.c. Sp. 9.

r) BENNET. th. tabid. exerc. 20. p. 54 sq.

s) STÜRCK ann. med. I. p. . MORGAGNI l.c.

t) KOREFF d. de ictero. §. XII.

v) FONTANI resp. & cur. p. 90. BONET. Sep.  
1-4. de cachex.

x) MORTON. opp. I. 3. c. 13. 2. p. 137. HOFF-  
MANN T. IV. f. 2. c. 6. obs. I.

C



XII. a scirrhis porro, tum hepatis *y*), tum vesicae felleae *z*), tum pancreatis *a*), tum pyloro scirrhoso *b*).

XIII. a physconia, quorsum hepatis varices *c*), steatomata *d*), excrescentiae fungosae ductus excretorii *e*), hydrops cystidis felleae *f*), hydatides, cystidi accretae, & ductum comprimentes *g*), scybala, flatus, colon distensione

*y) HIPPOCR.* aphor. VI. 42. IV. 64. Coac. prae. 122. *BONET.* Sep. T. 2. L. 3. S. 16. obs. 3. 4. *v. SWIETEN* III. §. 946.

*z) RHODII* Cr. 2. obs. 3. C. 3. obs. 96.

*a) TH. BARTHOL.* act. med. 1674-76. GR. LEAT. in Comm. Bonon. T. 4. a. 2.

*b) AET. HELUET.* T. 5.

*c) MORTON. BIANCHI, VESALIVS, BONETVS ap. BRÜNING I. c. p. 105.*

*d) GLISSON* an. hep. c. 8. COLVMB. I. 15.

*e) DONAT.* hist. med. I. 5. c. 3.

*f) HIST. de l' acad. des Sc. 1701. act. Edim. T. 2. a. 30. v. SWIETEN §. 935. VESALIVS, ZWINGER ap. BRÜNING I. c. p. 113.*

*g) MEECKREN. VALSALVA* AET. Petropoli. ap. BRÜNING. I. c. p. 126.

dentia *b*), grauidus vterus *i*), tumor tubae  
Fallopiana *k*).

XIV. a spasmis variis, oriundis a vulneribus,  
potissimum capitis *l*), a hernia incarcerata *m*),  
passione hypochondriaca & hysterica *n*), car-  
dialgia *o*), colica *p*), etiam piætonum *q*),  
C 2 emesi

*h*) *v. SWIETEN T. III. p. 95.* BONET, Sep.  
1. q. de febr.

*i*) HOFFMANN opp. T. 7. p. 374. STORCH.  
Jahrg. IV. 231. *v. SWIETEN III. 95.*

*k*) DECKERI exerc. pr. c. 8. §. 693.

*l*) BARTHOL. RÜCHSTETTER, BERTRAND,  
CHESTON, POUTEAU apud BRÜN. p. 173.  
Cel. BALDINGER M. castr. p. 227.

*m*) Comm. litt. Nor. a. 1742. h. 26. n. I.

*n*) SYDENH. de col. hyster. c. 3. f. 4. RAVLIN  
mal. vap. p. 17.

*o*) FR. HOFFMANN M. R. S. T. IV. S. 2. c. 2.  
obs. 3. IVNCKER I. C. PRINGLE T. 3. c. 4.  
f. 1. Comm. litt. Nor. 1739. h. 39 & 44.

*p*) SYDENH. op. T. I. f. 2. c. 7. p. 216. HOFF-  
MANN T. IV. c. 12. obs. I. p. 370sq. STORCH  
Jahrg. III. 828. IV. 628. V. 213.

*q*) Journ. de med. Nou. 1761. Ianv. 1764. p. 41.  
*de MEYSEREY* n. 419. *de HAËN* R. M.  
T. X. c. I. p. 17. 55. 68. 101.



emesi & catharrsi r), cystidis & ductus excretorii strictura sola s).

XV. a metaftasi per dysenteriam t), erysipelas intestinorum v), lochia suppressa x), intermittent suppressam y), cet.

XVI. a lue venerea confirmata z).

XVII. in scorbuti veri periodo tertia a).

XVIII. a cachexia, potissimum scabie b).

§. VI.

r) RIEDLINI lin. med. a. 5. Iun. obs. 20. HARRIS obs. p. 20. IVNCKER T. 90. §. 3. 6. v. SWIETEN T. III. p. 91.

s) v. anctor. epidemic & verminosi icteri.

t) Comm. litt. Nor. a. 1735. h. 31. Act. med. Berol. dec. I. vol. 9. p. 7.

v) C. Litt. Nor. 1740. h. 15.

x) FOREST. I. c. obs. 21. AMAT. LVSTIT. C. I. cur. 83.

y) BRÜNING I. c. p. 207.

z) ASTRVC de m. ven. L. 4. c. I. & c. 4. p. 335. 361.

a) LIND v. Scharb. p. 187.

b) BALDINGER I. c. p. 226.

§. VI.

Quibus iam enarratis oportet, caussas tum remotas, tum proximam, definiamus. Non habet, iam dare historiam variarum de icteri caussis Clarorum Virorum sententiarum, sed, quem interest ad CL. MARCARDVM, BRÜNINGIVM, & de HAEN remittimus. Sufficiat indicasse, omnem laborem CL. VV. in eo impendisse, ut docerent, impediri liberam bilis, vel hepaticae, vel cysticae, vel vtriusque, aut secretionem, aut excretionem, utque definirent, qui fieret, ut sic bilis veniret in sanguinem, icterumque produceret. Igitur quartus etiam CL. VV. dissensus sit in definientis icteri caussis, in eo tamen consentunt, inter caussas recipiendam bilis esse, licet dissident, vera bilis sit, quae icterum faciat. Quam vero in eruendis caussis non omnino felices fuerint auctores, ut tum dissensus eorum docet, tum & sequentia comprobabunt, non nulla proferenda erunt, quae male videntur auctores praeteruidisse.

Praeter icterum genuinum, occurrere etiam melaicterum, supra monti. Vtrumque gradum differre, tum auctores ponunt, statuentes, a varia vel copia, vel indole bilis differentiam repetendam esse, tum ex eo constat, quod icterus genuinus transeat in melaicterum, hic in illum, simul existant in corpore, & quod excreta se habeant in vtroque analoga, dum in flavo v. g. vrina viridi aut atro colore est, aut

in



in melasictero ita se habet, vti in flato, rel.  
Melasicteri quoque sedem, vti icteri, ponimus  
in cute; vterque vero non semper totam cutim  
adfligit, quare has accipe obseruationes.

- 1) icterus incipiens tenet oculos tantum,
  - a) dein faciei, collique partem, &
  - b) denique in totum corpus diffunditur c).
- 2) icterus recedens has illas partes primum  
relinquit.
- 3) icterus datur omnino partialis.
  - a) dimidii corporis d).
  - b) partis e).
- 4) coexistunt icterus & melasicterus.
  - a) facies melasictero laborabat, reliquum  
corpus ictero f).
  - b) fa-
- c) CARTHESER fundam. path. & ther. T. II.  
p. 558 sq.
- d) 1. transuersim sumti, vt capitisi & pectoris.  
v. SWIETEN T. III. p. 141.
- 2. longitudinaliter sumti. E. N. C. cent. 3.  
obf. 64. p. 145. ETTMÜLLER opp. T. II.  
p. 844.
- e) de HAËN I. c. p. 114. PAVLINI obf. dec. I. 9.  
A. N. C. IV. obf. 112. Journ. de med. Febr. 1768.  
p. 163.
- f) BOERHAAVE conf. med. epist. XVI.

b) facies virescebat, dextra pars corporis atro colore notabatur, sinistra flavescebat, deinde facies facta est flava, dextra pars corporis flava, sinistra atra (vrina modo erat viridis, modo atra, interdiu viridis, noctu atra) g).

Iam gratis pone, a bile, quacumque ratione in toto corpore praefente, icterum fieri, atque a varia bile differentias icteri & melasicteri repeate, num rationem reddere poteris, qui fiat, vt tum partialis tantum aliquando icterus sit, tum coëxstant atque alternent icterus & melasicterus? Non putarem. Quando enim cum auditoribus tantum ponis, per hepatis variam conditionem praeternaturalèm effici, vt bilis in corpore sit certa copia & indole, vt inde icterus oriatur, non video, cur magis tingat bilis in hac parte, quam in alia, nec, si a bilis indole icteri differentias repetis, cur in hac parte potius icterus sit, quam melasicterus. Igitur oportet, alia caussa horum phoenomenorum sit, quam, vt eruamus, opera est danda.

### §. VII.

Quum omnes fere auctores caussas icteri sibi videantur eruisse, dum ostenderunt, qui fieret in sanguine cacochymnia biliofa, quam a hepatice affecto potissimum deduxerunt, palam est, eos in eo consentire, quod icteri caussam proximam

g) E. N. C. cent. 5, obs. 41. p. 61.



mam faciant cacochymiam biliosam: quam certe negant tum in ceterum sanis, tum in aegrotis obtinere, nisi icterus adsuerit. Sed neque ubique icterus adeat, vbi cacochymia biliosa est, neque cacochymia biliosa sufficit producendis omnibus, ictero subinde adiunctis, conditionibus, vt modo ostendimus. Et si icterus, quod obtinet, aliquando tam cito sequitur, vt paullulum dubites, in hepate tantum protinus statum praeternaturrem induci posse, qui cacochymiam biliosam faciat, icterus etiam aliquando & partialis & leuis sit, non requirat adeoque cacochymiam biliosam, seu magnam bilis in corpore abundantiam, potius mediocris sufficiat, imo & sani ceterum homines facile interdum ab ictero corripiantur, primum omnino quaeritur, sine bilis etiam in sanis in toto corporis praefens, vt facile possit ad cutim imitari, siveque icterum producere?

### §. VIII.

Bilem ex abdomen resorberi quamuis in dubium vocauerint Clari Viri, vt LISTERVS, BIANCHI, argumenta tamen sunt, quae suadent, vtique bilem in totum corpus diffundi. Scilicet 1) in statu sano utraque bilis ad duodenum transit, inde aut semper, aut saepe tamen ad ventriculum & totum intestinorum tractum diffunditur. 2) bilis etiam cystica per cystidis poros transit, vt & adiacentes partes intestinorum coli & duodeni, omenti & ventriculi admo-

admodum tinguntur, vt cadauera etiam frequenter comprobant *b*). Inde itaque resorptionem bilis per venas potissimum mesentericas deduxerunt BOERHAAVE, REVERHORST, ZENDRINI *i*). Neque vero repugnat, resorptionem etiam per vasa lactea fieri. Mesenterium enim sanguinum vidit LIEBERKÜHNIVS, vasa lactea bile plena GALEACIVS *k*). Porro dubitari non potest, quin bilis etiam per vasa lymphatica hepatis resorbeatur *l*): & proxima bilis materies per eadem sanguinis, aliarumque abdominis partium. Denique bilis etiam cystica, per membranas intestinalium, imo & ventriculi ex parte diffusa tum per vasa lymphatica, certe post, quam diluta fuerit, resorberi poterit, tum non repugnat, eam quoque posse in corpus deduci per telam cellulofam, vt BRETTINGIVS apud MARGARDVM suspicatus est in ictero fieri. Quemadmodum enim eadem cellulosa aquam, pus, adipem, imo solida aliena, per totum corpus mouet *m*) ita certe aequa facile poterit.

*b*) de HÄN etiam R. M. T. XI. p. 163. quae-  
rit, num inde ieterus oriretur?

*i*) Apud HALLERVUM elem. phys. T. VI. p. 607.

*k*) v. HALLER. I. m. c. p. 608.

*l*) b. MECKEL nou. exp. & obs. de fin. venar. &c.  
p. 83. 91. 95.

*m*) HALLERI elem. phys. ed. 2da. T. I. p. 31 sq.



poterit bilem mouere, quam in tot locis vere suscipit. Igitur bilis poterit omnino in toto corpore, sano etiam, adesse: eam autem vere adesse, forte etiam suadet, cerumen aurium bili analorum, licet certe secernatur a parte, iis conditionibus non instructa, quae ad bilis dotes physiologi requirunt, atque adesse in abdome statuant, poterit autem secerni, dum bilis in sanguine est. Congruē sic saltim explicatur, cur facile & subito nasci icterus possit, cur idem oriri sine hepatis aut vesicae felleae labe, vel alio ictero signo *n*), queat, & cur icterus aliquando manifeste fiat a bile, magna copia intestina inundante, ut si vomitus, febres biliosas, & cholera insequitur. Et licet bilis, in corpore praesentis, non vbiique signa deprehendamus, notandum erit, tum bilem omnino variam esse in hepate, etiam pro differentia potissimum materiae in intestinis contentae, proximam bilis materiem sistentis, unde aliquando iners fere, aut admodum aquosa est *o*), ut icterum, H.A. ē. NIVS putet, fieri quoque posse, qui non apparet *p*), hinc & in statu sano resorpta varia erit tam copia, quam indoles in sanguinem resorptae bilis: tum bilis resorpta a reliquis humoribus omnino plus minus temperatur, & oboluuitur, vt non vbiique sui signa luculentissima dare queat.

§. IX.

*n*) PRINGLE L.C. de HAËN I. c. II. 140. 154.

*o*) V. SWIETEN T. III. p. 167.

*p*) I. C. p. 105.

## §. IX.

Igitur, quod non semper icterus existat, ratio eo poterit contineri, quod bilis ea tantummodo copia in corpore sit, ut a humoribus reliquis temperetur. Neque vero in eo sola causa omnino latere potest; fac enim, abundantia maior bilis in corpore sit, ut non temperetur bilis a reliquis humoribus, tamen non ubique adest icterus, licet biliosa cacoelymia adsit. Alterum itaque aduersus icterum praefidum ponimus in cute. Fac enim, bilem aut non deduci ad cutim, aut deductam ad eamdem commode omnem libereque per eius vasa meare: icterus sane his, positis conditionibus, existere non potest. Anne igitur contractilitas etiam cutis icterum impedire valet? Cutim non tantum vi mortua gaudere, sed specie quadam irritabilitatis, quae tamen minor sit, quam in musculis, HALLERVS <sup>q)</sup> statuit, quem in eiusmodi arguento tuto sequaris, atque ea quidem ratione contractilis est, „ut modo stricta sit, modo laxa, in frigore „& in animi affectibus rigeat, extensa se re-„trahat, vtque pili ipsi in frigore & in ira „erigantur: — stimulis tamen non obediatur.”<sup>r)</sup> Licet igitur aut vasa sanguifera, aut tela cellulofa bilis etiam maiorem copiam ad cutim ferant, forte tamen cutis bilem non facile admittet, ideo,

D 2   quod

<sup>q)</sup> Elem. phys. T. V. p. 7. T. IV. p. 454.

<sup>r)</sup> HALLER I. m. c. T. V. p. 7. cf. T. IV.  
p. 454.



quod vis contractilis bilem repellat. Nam quum HALLERVS negat, cutim stimulis obedire, de ferro, venenis, quaestio est, certe non de omni stimulo, nec de bile. Notumque satis, esse, qui vel musculos e cellulosa oriri putent, quibus certe irritabilitas cutis absone videri haud potest.

Iam vero pone, hanc cutis vim contractilem vel in toto corpore, vel in parte, vel cito, vel lente, plusue minusue sopiri, tum intelliges, qui tunc icterus fiat varia ratione. Potestne hoc icterus viuis lateris post hemiplexiam obortus, referri? Sed tonum alias etiam differre in corpore longitudinaliter diuiso <sup>s)</sup>, tum in variis partibus, notum est. Ut igitur debilitas cutis caussis, ictero fauentibus, merito accenserit queat.

Vt debilitas cutis, ita spasmī cutanei ictero fauent. Docent id icteri, ad frigus febrium intermittentium accidentes. Multum forte in iis

pro-

<sup>s)</sup> Ab irritatione ventriculi & intestinorum non solum faciei phlogosēs, sed potissimum alterutrius genae, vt notum est a vermbus. Nota est observatio sudoris viuis lateris. Vidi in phthisica linguam longitudinaliter diuīsam in latere uno sordidam, quod adfecto pulmone eius lateris respondebat, video coram exemplum feminæ, cui gena rubet sinistra ex pede eius lateris, vlcere adfecto, atque aliud, vbi in infarctu hepatis venea dextri pedis magis dilatae sunt, quam pedis sinistri. In adfecto hepate haemorrhagia narium critica contingit ex nare dextra, in liene adfecto ex nare sinistra.

producendis, consensus primarum viarum cum  
cute valet, vt tot alia exempla suadent, maxime  
quum irritabilitas ventriculi & intestinorum mani-  
feste augetur in plerisque supra enumeratis icteri  
caussis. Sic a plethora & diathesi inflammato-  
ria, sic a diathesi catarrhalis, a faburra primarum  
viarum, a constitutione biliosa, a vermis, a  
venenis, ab arthritide, rel. vt de eo dubitare  
omnino non possis.

Praeter ea & constitutio cutis, largiori  
excretioni destinatae, & impetus humorum, &  
ipse cacochymiae biliofae excessus ad caussas  
icteri pertinent, vt alias mittam satis notas.

Quae autem omnia si vera: vides, cur  
necessitate non sit, vt hepar adeo semper in ictero  
adficatur, vt nulla bilis ad intestina perueniat,  
quod non semper obtainere epidemicis in primis  
icteri docent; vt metuendum sit, ne anatomici,  
viscera scrutantes, effectus, repetendos v. g.  
a ventriculi atque intestinorum statu, habuerint  
pro caussis, & clinici, remouendo v. g. caussam  
irritabilitatis ventriculi & intestinorum, ictero  
medentes, male sibi perfauserint, se hepatis con-  
ditiones praeternatriales fustulisse.

### §. X.

Vt vero sententia nostra de caussis icteri  
pleniis Tibi constet, eam sic colligimus. *Icteri*  
*causa proxima* est bilis, ad cutim deductae,  
in

¶

in ea retentio. *Causa materialis icteri* est bilis ipsa ad cutim deposita: *causa vero formalis icteri* est retentio eius praedicta. Quidquid igitur efficit, ut abundet bilis ad cutim, & quod ibi eamdem retinet, id *icteri causa remota* est. Igitur nec sola cacoehymia biliofa, aut naturalis etiam bilis in toto corpore praesentia, nec deductio bilis ad cutim, nec denum retentio quaeviis matteriarum in cute, solae sufficiunt, ut *icterus* existat, sed coniunctae requiruntur. Itaque patet facile, quomodo varia hepatis labes adesse possit citra *icterum*, aut hic citra hepatis labem? Cur labes hepatis, licet cacoehymiam biliofam faciat, concorrente simul alia causa, tantum remota *icteri causa* sit? cur *icterus* vix possit signum variii hepatis status esse, multo vero minus morbus idiopathicus? quomodo differentiae *icteri* producuntur? Cur male non nulli scriptores symptomata, a labe hepatis repetenda, conciliauerint, *icteri* ideam composuerint, quae admitti non potest? Cur nec viuensalis *ictero* medendi methodus sit, nec possit superstrui soli vario hepatis statui? Cur idem, quod iam *icteri* causa aliqua est, alio tempore ei medeat, quod v. c. in emeticco manifestum est.

#### §. XI.

Sed arctis limitibus circumscriptus vela contraho, adiungens tantummodo adumbrationem, qui cacoehymia biliofa oriatur per variam hep-

hepatis statum praeter naturalem & alias causas.  
Igitur eadem oritur:

1) ob secretionem bilis impeditam

- a) per sanguinis viarumque eius vitium,  
vt atrabiliam constitutionem t).
- b) per vitium hepatis, & quidem ob im-  
peditam viam
  - α) ramorum ductus hepatici, aut trunci  
ipsius.
  - β) ductus communis.

2) ob auctam materiam biliosam

- a) per epidemicam constitutionem.
- b) per adsumta & externe applicata, mul-  
tum bilis praebentia aut producentia.

3) ob resorptionem bilis adauctam v)

- a) per impeditam viam ramorum ductus  
hepatici, eiusque ramorum.
- b) per impeditam viam ductus communis.
- c) per ductum cysticum oppilatum.
- d) per effusionem bilis in primas vias,  
aliae loca.

Quae

t) v. SWIETEN T. III. p. 96.

v) b. MECKEL I. c. p. 97.



Quae fere famíquam causæ sufficiétes vindican-  
tur apud v. SWIETEN, MORGAGNVM,  
BRÜNINGIVM, de HAËN, vt alios taceam,

§. XII.

Symptomata, quae ad icterum referri fo-  
lent, explices per consensum ventriculi cum aliis  
partibus, flauedinem oculorum per consensum  
cum oculis *x*), vrinae variam indolem per con-  
sensum cum renibus *y*), suppreffionem bi-  
lis effluxus ad intestina per consensum cum he-  
pate *z*); & quum variae possint adesse condi-  
tiones, quae faciant, vt per hunc consensum  
plus minus partes aliae adficiantur, explices,  
cur haec illa symptomata in ictero vel adficiantur,  
vel deficiantur. Tonum simul harum partium in  
his ne negligas.



*x*) REGA de sympathia partium, C. H. c. VII.  
p. 123 sq. & CL. RAHN d. de consensu capit is  
cum abdome.

*y*) REGA l. c. cap. X. p. 172 sq.

*z*) IDEM l. c. cap. X. p. 156 sq.

Halle, Diss.) 1779/80



56.

KD 18



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

ANALECTA  
DE ICTERO

CONSENSV  
GRATIOSI ORDINIS MEDICI  
IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE  
D. IO. CHRISTIUS KEMMIS

FACULTATIS MEDICAE M. T. DECANO

PRO  
GRADV DOCTORIS MEDICINAE

SOLLEMNITER CONSEQUENDO

AD D. IX. SEPTBR. CI C I C C LXXX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

A V C T O R

GEORG. LVD. FERDINAND. BEHM

BEROLINENSIS.

HALAE SALICAE,

TYPIS HENDELIANIS.